



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis lesv instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Ipris Flandrorum, 1612**

12. De præcipuis eius virtutibus, humilitate præsertim sui que contemptu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45048**

lino, colore nec albo nec fusco sed utroque mixto & temperato, caluitie veneranda, vultus illi iucundè grauis & grauiter iucundus, quique intuentes specie quadam & conformatione recrearet, grauitate componeret. Ex altero crure nonnihil claudicabat, quod accepto vulnere demtoque osse paullo contractius erat, honestè id tamen & quod incedendi moderatiōne tegeret.

### CAPVT. XII.

*De precipuis eius virtutibus, humilitate præsertim sui que contemptu.*

**E**Nimuerò quis admirabilem contentum virtutum eius pro dignitate commemoret? quis cælestes opes quibus eum Deus locupletauit, cælestia dona quibus ornauit? pœnitentiæ grauitatem? perfectam contemptiōnem rerum humanarum? eximiam animi demissionem? inuictam patientiam? amabilem mansuetudinem? prudentiam singularem? suauem & efficacem gubernandi rationem? constantiam in rebus aduersus? robur in iis  
quæ

quæ difficilia sunt pro Dei amore suscipiendis, vigilantiam & sollicitudinem in exsequendis? ardentem amorem in Deum & proximum? quis assiduitatem, contentionem, tranquillitatem orationis, qua animus Dei sponsi sui amore concalescebat? quis prodigia quæ idem Dominus per eum fecit & in dies facit? nam vt omittamus poenitentia seueritatem, egestatem, inediam, frigus, verberationes, cilicia, & omne poenarum genus, quibus corpus exercuit ex quo coepit Deo seruire, humilitatem inprimis reliquarum virtutum fundamentum ardentem amplexus est. Itaque pannosus & seminudus, egens in hospitali pauperum domo passim cum egentibus versari, abiici & conculcari, ignobilis esse ac pro nihilo putari, exultare gaudio si quando despiceretur, & pro Christi amore vexaretur. Sic enim expressam non solum ad intuentium, verum etiam ad imitandum nobis huius virtutis imaginem reliquit: vt eam nobis proponentes eò magis nos demittamus, quò volumus excel-

siorem in locum adscendere, quantoque sublimiorem ædificij molem extruimus, tantò altiora fundamenta iaciamus: illud denique certum & exploratum habeamus, multò magis hanc submissionem ad salutem & conversionem animorum valere, quàm humanam auctoritatem, vel cum tenuissima ambitionis aut arrogantix suspicione coniunctam. Et ille quidem talis tantusque cum esset, vt ex ipso met audiui, petebat ab omnibus è domo virtutum exempla, fumebatque materiam erubescendi, nec vllum nisi se tantùm improbat. Scripsit aliquando in quadam epistola, quam vidi, se nullum vnquam cum vllò quamuis improbo de rebus diuinis exorsum esse sermonem, quin hac arte sibi magnum cepisse fructum videretur, propterea quòd sine dubitatione se nequiorem illo deterioremque existimaret. Ad hæc dictitabat, credere se in terris reperiri neminem, qui collatis in se tot tamque assiduis Dei beneficiis sæpius quàm ipse pratermissæ gratiæ culpam incurreret, & negli-

negli-

negligentius officium Deo præstaret. Mihi dixit aliquando, se à Deo precatum vt cùm è vita migrasset, cadauer suum auibus & feris dilaniandum abiici pateretur; Cùm enim, inquit, vt probè noui, nihil sim nisi sterquilinum & foetida cloaca, quid aliud sceleribus meis dignum exoptem? Ab omnibus cupiebat illudi, aiebatque futurum vt in publico pannosus, aut seminudus & lutulentus incederet, nisi moderaretur affectibus, vt fatuus ab omnibus iudicaretur.

Sed hunc humilitatis ardorem caritate desiderioque iuuandi proximum temperabat. Rarò de rebus suis agebat nisi res magnam necessitatem afferret. Quòd si de iis alius eo presente tractaret, aut ea diceret quæ essent cum eius laude coniuncta, continuò seipsum colligebat lacrymans & magno rubore suffusus. Sacerdos quidam Societatis maturus & ætate grauis ei à confessionibus aliquandiu fuerat, natione Nauarrus, nomine Iacobus Eguia vir tantæ virtutis & innocentia laude cumulatus, vt B. Pater diceret:

D 3 Cùm

Cùm ad coetum beatorum in caelis aggregati fuerimus, P. Iacobus in tantam excelsitatem adscendet, vt eum nos locorum interuallo disiuncti videre vix possimus. Atque hic senex virtutes & integritatem B. Patris grauititer extollere solebat, vt qui eius animi candorem intimosque sensus exploratos haberet & cognitos. Erat hæc Patri adeo grauis & odiosa laudatio, vt eum interposito obedientie nomine iusserit eiusmodi sermonibus abstinere. Sed hic immemor edicti, cùm in pristinam subinde consuetudinem relaberetur, destitit etiam ipse eius in aure peccata deponere. Hic idem senex illud crebrò vsurpabat; Utinam me Deus P. Ignatio vel paucis diebus superstitem esse vellet! ad ea patefacienda quæ de ipso cognoui. Sed Deo cuius in potestate sunt omnia longe aliter visum est. Nam hic ante B. Ignatium triduo decessit, quod ipsum, vt creditum fuit, precibus impetrauit Ignatius. Tantam autem sui cognitionem erat consecutus, vt compluribus annis antequam huius lucis vsuram

vsuram

vsuram amitteret, nullo omnino sensu tangeretur inanis gloriæ, tantoque lumine illustratus vt diceret, nullum esse culpæ genus à quo minus sibi putaret metuendum. Hic tamen vermis omnia rodit, etiam cedros Libani: atque in animo sui amore cæcato & de se maiora sentiente innascitur. Nihil erat apud eum lautum, nihil elegans, nihil exquisitum, nihilque sumtuosum, humilitatem cuncta redolebant: vilis erat illi vestitus tametsi nitidus & mundus, vilis lectus, vilis cibus adeoque tenuis & parcus, vt perpetuam quandam ieiunij legem seruare videretur: In abiectioribus domus ministeriis libentissime versabatur, cuiusmodi erat componere lectos ægrotorum aliaque id genus quàm plurima. Quòd si res in controversiam vocaretur non satis clara & evidens, facilè in aliorum sententiam ibat. Quamuis honoris gradu superior esset omnibus, se tamen æquabat iis qui sub eius erant potestate, immò verò subiciebat se interdum etiam minimo, admirabili quadam lenitate

& modestia. Cùm doctrinam Christianam rudioribus traderet, puer quidam è collegio simpliciter & candidè monuit, vt curam & studium in expositione linguæ poneret, eo quòd nescio quid barbarum & peregrinum in Italica lingua sonaret. Cui Pater, Rectè mones, inquit, sed obserua diligenter (amabo) me docentem, & si quid vitiosum fuerit notato, vt emender. Cur ordinem nomine IESV insigniri voluerit, ea potissimum ratio fuit, ne de suo nomine diceretur, neue eius constituendæ socius & administrator fuisse videretur. Si quando mentionem eius inferret, illud vsurpare consueuerat. Hæc minima Societas, vt quemadmodum esset ipse iudicio suo minimus, tales etiam haberentur & filij. Sed quid hanc virtutem commemorem, qua toties ex animi sui sententia Societatis administrationem deprecatus, & vsque eò recusauit quoad is qui à confessionibus ipsi fuerat, religionem iniecit: sed nec tamen in posterum conquieuit: nam anno MD. IO. I. præcipuos è Societate

tate



ate Patres conuocauit, vt iis aucto-  
ribus magisterio se abdicaret. Deni-  
que testatus est & scriptis ad eos litte-  
ris confirmauit, in se non reperiri vel  
minimam partem earum virtutum  
quæ ad hoc munus necessariæ esse  
videantur. Verùm sit hoc humilitatis  
eius, scimus enim quicumque eum nos-  
uimus tam eximiis fuisse præditum,  
tanta scientia gubernandi, vt summi  
moderatores ordinis nostri ab eo be-  
ne regedi exempla petere meritò de-  
beant. Sed quamuis quod desiderabat  
impetrare non potuit, patresque facti  
auctores futuros se negauerunt, noua  
tamen huius abdicationis consilia  
tractare non destitit, & omnes vias  
peruestigare, quibus administratione  
solutus & liber ad contemplationem  
se transferret. Existimabat enim (vt  
mihi quidem dicebat) inutilem se &  
ineptum ad omnia, & in eo gradu  
collocatum, quem alius quàm ipse  
feliciter teneret. Sed neque tum ipsi  
quod optabat extorquere fas fuit;  
firmissimè siquidem asseueratum fuit,  
non esse sperandum vt ad eius volun-

Mundi  
con-  
temp-  
tus at-  
que in  
tribu-  
lacio-  
ne con-  
stantia

tatem accederet vnquam Societatis auctoritas, neque commissuram vt eius gubernacula alius eo viuo capesferet. Ab hac tam eximia præstantique virtute nascebatur despicientia sui rerumque humanarum ac terrenarum. Auet enim qui verè demissus est deprimi, censerque eam depressionem, vt B. Bernardus auctor est, munire ad humilitatem viam. Ab eadem oriebatur in laboribus fortitudo, patientia in rebus aduersis. Talis enim cum sit ad seipsum semper intentus, seque maximè nocentem & consolatione indignum existimet, omnibus se rebus inferiorem putat, nec mali sibi quidquam posse accidere, quod pro magnitudine peccatorum suorum exiguum non videatur: huic denique optatissimum est, vt res omnes quasi iustitiæ diuinæ administri debitas atque vltimes à se poenas repossant.